Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

Bibliotheca regia publica.
6ᵈ,-1.
LN 1244
ex. 2
BIBLIOTHECA REGIA HAFN.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

REGVLAE QVAEDAM VTILES

ac neceſſariæ / concionatoribus
obſeruandæ / conſcriptæ a
Nicolao Pal-
ladio.

1 5 5 6.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

Petrus Palladius
Pio Lectori.

MIhi videtur conſultum/ vt hæ Regulæ libello præpoſiturali/ vel in vna compactura / propter Materiæ conuenientiam coniũgantur/ vt ſimul ipſis Parochis proponantur/ et vnuſquilibet ſe / hic talem præſtet / qualem oportet eſſe fidelem miniſtrum verbi/ Cooperatorem Chriſti et diſpenſatorem myſteriorum Dei 1 Cor: 4

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

Regulæ quædam Cõcionatoribus obſeruandæ/ conſcriptæ a Nicolao Palladio.

Prima Regula

VNumquemlibet verbi miniſtrũ/ de tribus præcipue certum eſſe oportet/videlicet de ſui vocatione / Doctrina et vita

¶ Vocatio ſit iuſta et diuina per media licita et legitima / nempe per Eccleſiam/Magiſtratum/ et eos qui ad hoc ordinati ſunt vt alios vocent/ Qui hoc modo vocantur/ efficiuntur organa Eccleſiæ ſalutaria: Intruſores autem fiunt animalia ventris / blaſphœmi/ſeductores/mercenarii/Lupi rapaces/ fures et latrones ꝛc. De quibus vide Hie: xxiii. Joan: x. Acto: xx: Gal: i.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

2 Doctrina ſit diuina / cœleſtis /
vera / pura / et aliena a phanaticis opi-
nionibus / impiis dogmatibus / traditi-
onibus humanis / mendaciis et abſq;
veteri / id eſt / Papiſtico fermēto / Id e-
Hie: 23 nim ipſe deus per Hieremiam præcipit:
Si quis / inquit / habet verbum meū /
1. Pet: 4 prædicet verbū meū recte / Idem Di-
uus Petrus mandat. Si quis loqui-
1 Cor: 11 tur / loquatur quaſi ſermones dei &c.
et 15. Et Paulus ait Quod a Domino ac-
cepi / tradidi vobis &c.
3 Vita reſpondeat doctrinæ / ne
1 Cor: 9 cum aliis prædicauerit miniſter verbi /
1: Ti- ipſemet reprobus inueniatur / Et ne
moth. 3 incidat in laqueum calumniatoris / et
2 Cor 6 infirmos ſcandalizet / Nemini (inquit
Apoſtolus) vnquam ſimus ſcandalo /
ne noſtrum officium contemnatur / ſed
in omnibus exhibeamus nos tanquam
miniſtros Dei / Turpe enim eſt doctori
cum culpa redarguit ipſum / Quicūq;
enim bene docet / et male viuit / is mala
vita

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

vita plus deſtruit/quam doctrina ædificat. Sit ergo Eccleſiæ paſtor in omnibus honeſtis actionibus exemplar gregis/forma bonorum operum/ſpeculum aliorum/ et praſtet opera confeſſionis/vocationis/et dilectionis/Et cauebit ſummo ſtudio /ne Eccleſiam offendiculo aliquo polluat. Et ne inſigne aliquod vitium/vel criminis/ turpitudinis aut flagitii alicuius veſtigium in eo appareat/ ne luxu aut compotationibus /aut obſcanitate /aut ſpurcitia verborum /aut leuitate/aut aliis modis ſe reddat contemptibilem/ ſuamqz authoritatem eleuet ac diminuat. Rom: 1.

Secunda Regula.

Perſiſtat miniſter verbi/in ſacrarum literarum aſſidua meditatione et exercitio / Et per omnem vitam diligentiſſime ſtudeat in volumine cœleſtis doctrinæ / Vt aptus ad docendum Pſal. 1

et prædicandum fiat/et contradicentes
2. Ti- cõuincat. Sic Paulus Timotheo præ-
moth. 3. cipit inquiens / Tu vero permane in
his quæ didiciſti et credita ſunt tibi/ſci-
ens a quo didiceris/et quia ab infantia
ſacras Literas noſti/quæ te ad ſalutẽ
Johan: 5 inſtruere poſſunt/Scrutamini (inquit
Chriſtus) ſcripturas/Omni enim ha-
Luc: 19. benti dabitur.

Tertia Regula.

Inuocet aſſidue Deum ardentiſſi-
mis votis/pro illuminatione Spiritus
ſancti/et toto ſuo miniſterio/vt fœlix
ac ſalutare eſſe poſſit ad gloriam Dei
ſempiternam et ſalutem Eccleſiæ/ac-
cipiatq; reſponſum a Chriſto Archi-
paſtore/qui ſuos miniſtros corroborat/
Matth: his verbis/Nolite cogitare quid dicatis
10. Ego dabo vobis os et ſapientiam/cui
Luc: 21. non poterunt reſiſtere omnes aduerſarii
veſtri/Item qui vos audit me audit/
Non eſtis vos qui loquimini &c. Hoc
modo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

modo ipſi Apoſtoli Acto: 4. orant /vt
det illis loqui cum omni fiducia ſer-
monem.

IIII.

Poſt ſtudium et inuocationem/
aſcendat Doctor Eccleſiæ ſeu miniſter
verbi confidenter et forti animo ſuggeſ-
tum/ non perhorreſcens multitudinẽ/
potentiam/et ſapientiam auditorum/
ſed doceat tanquam authoritatem ha- Matth: 7:
bens/et cogitet ſe cœleſtem legationem
obire/ ac certo ſibi perſuadeat concio- 2: Cor 5.
nem/ bonum exordium/progreſſum
fœlicem et finem optimum habiturã/
Et laborem nequaquam fore inanem 1. Theſ 2.
in domino.

V.

Non dicat pro concione quicquid
in buccam venerit/ſed diſcat prudenter
ſecare ſermonem veritatis/et prædicet
ea/quæ ſunt vtilia/ſalutaria/et neceſ-
ſaria/tanquam bonus diſpenſator myſ-
teriorum Dei/vt ſemper habeat audito-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

res / attentos / dociles / ac beneuolos.

VI.

Non obruat auditores multitudine verborum / ſed prudenter deligat ex magna rerum copia / quæ maxime videntur profutura / quæ methodice ac iuſto ordine / claris ac perſpicuis verbis pronunciet. Verba enim voluere / et celeritate dicendi / apud imperitum vulgus ſui admirationem facere / indoctorum hominum eſt / inquit Hylarius. Det igitur operā / ne tota concio ſit ſine mente ſonus / ſed vt apposite ſignificantibus verbis populum doceat / conſoletur / et exhortetur.

VII.

Caueat etiam doctor Eccleſiæ / ne multitudine Locorum communium auditores obruat / ſed pauci tantum et clariores adducendi ſunt. Nihil enim ædificant qui in publicis concionibus innu-

innumerabiles propemodum ſcripturæ locos producunt / obruunt tantum ita auditorum animos / vt finito ſermone quid / dictum ſit / ignorent.

VIII.

In vno ſermone non vtendum eſt multis Similitudinibus / ſed vna atq; altera ad illuminandum textum / Sunt autem ſimilitudines / imagines rerum.

IX.

Tota concio referatur ad ipſum ſtatum / ſeu principalem Propoſitionē / Illā Concionator ſæpe repetet / et auditoribus inculcet / vt ſciant, quid potiſſimum ex tota concione diſcere et expectare debeant.

X.

Obſcurus locus / apertiori eſt exponendus. Scriptura enim ſcripturā interpretatur. Nam neceſſe eſt vt interpretatio ſit Analoga fidei / ne ex huma-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

no ingenio aut proprio cerebro procedat.

XI.

In volumine ſacrarum Literarum multi ſunt loci / qui ſecum in ſpecie pugnare videntur / hos Concionator conciliare ſtudeat / vt oratio per omnia congruat / Spiritus ſanctus enim ſcripturæ author non contradicit ſibi ipſi / nec pugnantia loquitur vnquam.

XII.

Verba ſunt intelligenda / ſecundum ſubiectum ſeu materiam propoſitam / vt cum Johannes ait / In principio erat verbum / hic verbum ſignificat filium Dei etc.

XIII.

Antitheſes probe obſeruandæ / et in quouis textu vſurpandæ ſunt / Valde enim proſunt et plurimas res

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

oſtendunt. Vbicunq; enim ſit mentio Chriſti / e contrario occurrit mentio Diaboli.

XIIII.

Natura etiam Correlatiuorum bene notanda / Magnam enim et amplam dicendi materiam ſuppeditant. Relatiua enim mutuo ſeſe definiunt et interpretãtur / Vt Magiſtratus eſt, qui certo iure ciuitatem regit / Ciuitas eſt quæ certis Legibus regitur a Magiſtratu. Item / fide ſumus iuſti / transforma in correlatiuum / miſericordia Dei iuſti ſumus.

XV.

In omni textu explicando reſpicienda ſunt antecedentia et conſequentia. Sic enim multæ dubiæ obiectiones diſſoluentur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

XVI.

Diſtinctio maxime conducit/ vt in illa ſentētia/ Fornicatores et adulteri non poſſidebunt regnum Dei / ſcz quo ad impœnitentes ſunt / Itē / Peccatores Deus non exaudit/ſcz non agentes pœnitentiam / Quicunqz enim bene diſtinguit /bene docet.

XVII.

Interdum Allegoriis vti conceſſū eſt/modo ſint conſentaneæ Scripturæ/ Nam ſi pugnet Allegoria cum apertis ſcripturis/explodenda eſt/quemadmodum turpiter a recta via deerrauerunt/ qui per Aharonem Romanū Pontificem ſignificari docuerunt ꝛc.

XVIII.

Circumſtantiæ bene conſiderandæ ſunt/vt Concionator ſapienter præmeditetur / coram quibus: quid: qualiter/qua audientiū opinione: quo loco: quo tempore prædicandum ſit.

XIX.

Simplicia Themata commodiſſime per quæſtiones Methodi pro concione tractari et explicari poſſunt / ut quid ſit / quæ partes uel ſpecies / quæ cauſſæ / qui effectus ſeu officia / quæ affinia / coniugata / quæ contraria. &c.

Exemplum de fide.

Quid ſit) Fides eſt aſſentiri omni verbo dei / et promiſſionibus diuinis exhibitis propter Chriſtum.

Quæ ſpecies) Fides Hyſtorica et Iuſtificans.

Quæ cauſſæ) Cauſſæ efficientes concurrentes / ſunt intellectus / voluntas / et Spiritus ſanctus mouens voluntatē / Intellectus enī nō eſt ocioſus / Audit et diſcit verbum / Et voluntas mota per Spiritum ſanctum aſſentitur illi verbo.

Cauſſam materialem ex qua

non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

non habet / Nam accidentia non ha‑
bent cauſſam materialem ex qua.

Cauſſa materialis in qua) In mente aut corde / Corde enim creditur ad iuſtitiam / Item / Fide purificantur corda.

Circa quam) eſt verbum Dei et voluntas diuina / Fides enim ex auditu / Auditus autē per verbum Dei.

Cauſſa formalis) eſt ille ipſe ſenſibilis motus cordis et voluntatis / et ipſa inflammatio.

Cauſſa finalis) Bonum propoſitum / pax et ſecuritas conſcientiæ /
Rom. 5. Iuſtificati ex fide pacem habemus &c.

Officia Fidei) quod per illam inſerimur Chriſto / ac efficimur filii Dei / Quotquot enim receperunt eū. &c

Contraria Fidei) ſecuritas Epicurea / dubitatio / deſperatio.

Maior.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

Maiori cum diligentia / prædicanda eſt Remiſſio peccatorum quam lex. Quia oues ſunt paſcendæ conſolandæq; magis/ſed tamen ſæpe etiam in terrorem adiicienda eſt breuis quædam legis explicatio.

XXI.

Quicquid Sacra Scriptura docet/ etiamſi rationi humanæ abſurdum videtur/ tamen veriſſimum eſſe ſtatuendum eſt/ et adducenda inſtantia rationi humanæ/ quod etiam ſit incredibile/ et tamen fiat. Ignoramus quomodo oculus videt/ auris audit/ lingua loquitur/ frumentum creſcit etc/ attamē hæc omnia fiunt. Ita quoq; etiāſi non intelligimus articulum Creationis Sanctæ Trinitatis/ Iuſtificationis/ Reſurrectionis et cætera/ tamen veriſſima ſunt quæ de his Sacræ Literæ nobis reuelant. Nam Deus non

eſſet

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

eſſet Deus / ſi non poſſet multa contra ordinem naturæ / et ſupra captum humani ingenii efficere.

Hoc rationis iudicium / quomodo derideat Dei mirabilia et promiſſiones / et pro nihilo habeat / etiam pro concione ſæpiſſime taxandum eſt.

Quandocunqꝫ (inquit Chryſoſtomus) a domino aliquid publicatur / non debent quæ dicuntur ab auditoribus in quæſtionem et dubitationē curioſam vocari / ſed tantum ſimpliciter ſuſcipi.

XXII.

Vbi Chriſtus loquitur de regno Coelorum non abrogat regnū Mundi et eius leges / ſtatutaqꝫ / Sic etiam vbi fit ſermo de non occidendo / vt in 5. præcepto / excluſiua de regno Politico eſt adiicienda.

XXIII.

Scriptura in mandatis non vtitur Metaphoris / vt fieri ſolet inter nar-

randum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

randum. Hac regula vtilis eſt contra eos qui metaphoras et Tropos quærunt in mandatis / vt in illo / Accipite / hoc eſt corpus meum. &c.

XXIIII.

Quiuis textus referendus eſt ad aliquam partem Catechiſmi / Sic enim auditores iudicare poſſunt / vnde fluat oratio / Nam tota ſacra Scriptura comprehenſa eſt / in Decalogo / Symbolo / vel Oratione Dominica / et Sacramentis. Omnia enim quæ docentur / aut ſunt Myſteria iræ Dei / aut gratiæ / (id eſt) Legis aut Euangelii: Aut Hyſtoriæ ſunt / aut doctrina morum / qua ſuadetur vel diſſuadetur.

XXV.

In Præceptis Decalogi explicandis hæc dictio / Tu / non ad externam Actionem referenda / ſed ad totum hominem quantus quantus eſt / Hoc mo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

do recte intelligitur ac ſentitur verus ac ſpiritualis vſus legis / Et iuſticiariorum Hypocriſis detegitur ac denudatur. Eſt enim totus Homo ſua natura cum omnibus ſuis viribus / peccato originali / horribiliter corruptus / corpore et anima / Intellectus obſcuratus eſt, et caret vera cognitione Dei / Voluntas auerſa eſt a Deo / et conuerſa ad ſeſe / non congruit cum voluntate diuina / Cor eſt contumax aduerſus Deum / et totam ipſius legem. Hoc eſt quod Moſes ait. Tota cogi-
Gen: 6. tatio humani cordis prona eſt ad malum ab adoleſcentia. Item / Paulus.
Rom: 8. Senſus carnis inimicitia eſt aduerſus Deum / Hæc et ſimilia / proprio vſu legis oſtendantur.

XXVI.

Appendix primi præcepti (Non facies tibi ſculptile) nunquam in explicatione eiuſdem præcepti ſomnolenter præ-

cat præteriri debet / Sed ſerio vrgendus eſt contra monſtroſas ſtatuas / earũqꝫ cultores et patronos.

XXVII.

Dabit operam Doctor Eccleſiaſticus / vt totam ſuam doctrinam ad captum auditorum accommodet / et eligat materiam facilem / Eſt enim plerumqꝫ in magna multitudine pars maxima / rudis et illiterata / quæ res arduas / intricatas / et perplexas difficulter aſſequi poteſt / Ac etiamſi adſunt aliqui eruditi / atque periti rerum diuinarum / meminerit tamen qui docet / ſe ſeruire multitudini / et conſulere prius debere multis quam paucis.

XXVIII.

Sedulo in hoc incumbet Concionator / vt artificioſe / idonea materia / verbis / voce / vultu / et aptis geſtibus /

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

affectus excitet/ Id commodiſſime fiet/
quando inter docendum populum ipſe-
met affectibus ac motibus ſpirituali-
bus ardet / et tales animo concipit/
atq; in ſeſe ſuſcitat / quales cupit in a-
liorum mentes tranſfundi/ vt quem-
admodum ipſe affectus eſt/ alios pari-
ter afficere poſſit/ iuxta illud / Si vis
alios flere/ flendum eſt tibi ipſi. Ita
quoq; Chriſtus ipſe (in quo puriſſi-
mi erant affectus) Cordis ſui inflam-
mationem ſæpe verbis et ſignis oſten-
dit. Lucæ 10. Habetur / quomodo
exultauit Spiritu etc. Item turbatus
Spiritu/ Matthæi 23. ſuum arden-
tiſſimum affectum pulcherrima ſimili-
tudine expreſſit / vbi ait / ſe frequenter
voluiſſe congregare incolas Hieroſoli-
matũ ſicut gallina congregat pullos
ſuos ſub alis/ Itẽ. Fleuit amare ſu-
per ciuitatem etc. Tales affectus in-
numerabiles/ in ſcriptis Propheticis
et Apoſtolicis exprimuntur / ſeorſim
vero in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

vero in dictis Paulinis/Propter quod (inquit Acto: 20.) memoria retinentes/ quod per triennium / nocte et die non ceſſaui cum Lachrymis monere vnumquemqz veſtrum etc:

Vt igitur aliorum mentes moueat atque accendat Concionator/caueat ne in ſuggeſto ſit frigidus / ſomnolentus/ truncus / et tanquam Aſinus ad Lyram ,et ne quid in verbis/ in pronunciatione / aut etiam in geſtibus vſurpet quod vel ſui ipſius , vel miniſterii contemptum/apud plebem/ patere poſſit. Sed manifeſte declaret/ ſe auide ex toto corde / et omnibus viribus / omni tempore anxie et ſollicite quærere in terris gloriam Dei / et ſuorum auditorum vtilitatem et æternam ſalutem. Jd vt fideliter præſtet.

1 Tradat legem et Euangelium ſyncere/ quemadmodum decet bo-

 num

nnum diſpenſatorem et cooperariũ Dei.

2 Conſoletur conſcientias publice et priuatim/eaſqʒ quotidie muniat et armet contra Diabolum.

3 Oſtendat conſcientiis certam viam Juſtificationis / et conſequendæ æternæ ſalutis.

4 Adminiſtret ſacramenta a Chriſto inſtituta / eorumqʒ verũ vſum in Eccleſia tueatur et conſeruet.

5 Gerat quotidianam ſollicitudinẽ/ pro pauperibus / pro omnibus ouibus ſuæ fidei commiſſis / Item viduis et pupillis/educatione iuuentutis &c.

Pugnet vt bonus Chriſti miles fortiter et ſummo ſtudio contra falſas doctrinas / ferat conſtanter quaſuis afflictiones Diaboli et mundi / propter Verbum.

In ſumma ſit tantũ Epiſcopus attendens ſuo gregi/ſemper erectus ac

vigilans

vigilans orando contra Sathanam / qui nunquam dormit / ſed circumit tanquam Leo rugiens et quærens quem deuoret.

Hoc modo Doctor Eccleſiaſticus pie ac fœliciter ſeruire poteſt Deo et hominibus.

2 **Deo patri** / promouendo regnum / gloriam / potentiam / maieſtatẽ / nomen et cognitionem Dei patris.

3 **Filio** / Docendo veram fidem / merita / beneficia / vſum et fructum paſſionis Chriſti.

4 **Spiritui ſancto** / Prædicando dona / operationes / virtutes / et verum vſum Baptiſmi et Cœnæ Domini &c.

Hominibus quoqꝫ ſeruiat / Anima et corpore.

1 Animæ / prædicando de vera agnitio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

agnitione peccatorum / item contriti-
one/et remiſſione peccatorum atque re-
conciliatione cum Deo / et de vita æ-
terna.

2 **Corpore**/Recte informando omnes mundi ſtatus / promouendo pacem politicam/ malas cauſſas conciliando. etc.

Tales paſtores qui bene in verbo præſunt/duplici honore digni ſunt/ Et habebunt vitæ ſuſtentationem/ defenſionem mirabilem/et in æterna vita gloriam et honorem.

1 Suſtentationem habituri ſunt Juxta illud/Qui Euangelio ſeruiũt/ (. Cor:9) ex Euangelio viuant / Dignus eſt operarius mercede ſua/ Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus / magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus. Cõmunicet Doctori in omnibus bonis / is qui verbum docetur. Gal: 6.

2 Defenſionem et liberationem habebunt/iuxta illud. Ego ego ipſe

conſolabor te/quis tu vt timeas ab ho-
mine mortali? Eſa: 51. Ego ego iudi-
cabo cauſſam tuam/vlciſcar vltionem
tuam. Jere: 51.

Ego tecum ſum vt ſaluem te / et
eruam te dicit Dominus/et liberabo te
de manu peſſimorum / et redimam te
de manu fortium Jere: 51.

Item/ Qui vos tangit / tangit
pupillam oculi mei / Omnes capilli
capitis veſtri numerati. ſunt.

3 Gloriam quoq; in æterna vita
conſequentur/iuxta illud. Qui alios
docuerunt/ fulgebunt quaſi ſtellæ in Dan: 12.
ſempiternum. Item. Merces veſtra
copioſa erit in coelis / Item cum ap- Matth 5
paruerit Princeps paſtorū/percipietis
immarceſſibilem gloriæ coronam: His
egregiis promiſſionibus pius Paſtor
animarum/per totam vitam in officio
vocationis ſeſe ſuſtentare ac conſolari
poteſt / vt ſuum curſum perficiat / ad
gloriam Dei et ſalutem Eccleſiæ.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

Subſequuntur Regulæ quas Mercenarii et impii Sacerdotes obſeruare ſolent / contra ſuam conſcientiam.

SVnt autem Mercenarii / non qui mercedem ſui laboris accipiunt / ſed qui tantum propter mercedem in vinea Domini laborant / et non vt multos Chriſto lucrifaciant.

Prima Regula

Parum aut nihil ſtudendum eſt in ſacris Literis / nec opus eſt bonos libros comparare / cum domi mecæ ſint. Dormi ſecure / Sermones parati / Poſtilla Guilerini &c. tametſi mandatum Chriſti eſt. Scrutamini ſcripturas. Item / Cauete vobis a fermento ſcribarum et Phariſeorum. Item / Pauli ad Timotheũ. Attende lectioni / doctrinæ et exhortationi &c.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

Secunda Regula

Nolo contentus eſſe vna vel duabus Parochijs /ſed (etiam ſine legitima vocatione / per Symoniam et alias impoſituras.) in plures Eccleſias me intrudam / vt audiam illud / Pecunia tua ſit tecum in perditione. Item Currebant et non mittebam eos. etc. Itē. Quomodo prædicabunt niſi mittantur etc.

III.

Docebo placentia / neminem reprehendam / ne incurram in odium ruſticorum / vel nobilium / iuxta illud / Dic nobis placentia et audiamus te / non iuxta illud Ex alta vocē tuam ſicut tuba / et reuela populo meo ſcelera eorum / Item. Dic eis et liberaſti animam tuam.

IIII

Parcam veritati / etiam in articulo humanæ ſalutis / ac docebo homines conſecuturos ſalutem et vitam æternam proprijs / et aliorum / etiam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

mortuorum meritis et interceſſionibus etiamſi Chriſtus dicat / Ego ſum via veritas / et vita &c. Nemo venit ad patrem niſi per me / Item. Non eſt in alio quoquam ſalus. Item. Venite ad me omnes qui laboratis etc. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent etc.

V.

Non abſtinebo ab inuocatione ſanctorum et meos Parochianos ad idem faciendum exhortabor etiamſi / Vnus eſt mediator Dei et hominum / homo Ieſus Chriſtus / Item. Si quis peccauerit / aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum.

VI.

Impias ſtatuas et imagines in templis non deſtruam / nec reprehendam / etiamſi ab hominibus ornantur / inuocantur / et honorantur / contra appendicem primi præcepti / Non facies

tibi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

tibi ſculptile / aut vllam ſimilitudinem etc. Item confundantur omnes qui ſeruiunt ſculptilibus etc.

VII.

Quantum ad ieiunium attinet / docebo abſtinendum eſſe a carnibus ſexta feria / in vigiliis ſanctorū / et in quadrageſima / tametſi probe ſcio dictum Chriſti / Quod intrat in os non coinquinat hominem. Item 1. Timoth: 4. Doctrinæ dæmoniorū ſunt / quæ prohibent abſtinere a cibis / quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.

VIII.

Legitimam coniugem non ducam / ſed adiungam me concubinæ / et aliis meretricibus / Nihil ad me quod / Oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris maritū / caſtū / Item / Erunt duo in carne vna / Fornicatores et adul-

teros

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

ſeros iudicabit Deus etc.

XI.

Studendum eſt auaritiæ per to-
tam Hebdomadam / et litigandum cū
Parochianis / etiam de minutiſſimis
pendendis/Arare/triturare/et propri-
am aurigam in oppidis/agris/et ſyl-
uis me agere oportet / Item / Vſuram
et mercaturam exercere / iuxta illud.
Omnes quærunt quæ ſua ſunt et non
quæ Ieſu Chriſti/Non obſtante/quod
Paulus officium meū aliter deſcribit
cum inquit. Non ſit turpis Lucri cu-
pidus etc.

X.

Sedulo ventris cuticulam cura-
bo/deliciando/diuitias cumulando /
potando ꝛc. iuxta illud/ Quorum
Deus venter eſt ꝛc. Tametſi oportet
Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem/non
vinolentum etc.

XI.

Diſſentiendum eſt a veris Paſ-
toribus

toribus / in Ceremoniis / et admiſ-
cendæ multæ Papiſticæ Ceremoniæ
Nihil refert quod audiam. Fruſtra co-
lunt me docentes doctrinas et manda-
ta Hominū / Item / Præcipimus vo-
bis Fratres in nomine Domini noſtri
Jeſu Chriſti / vt ſubtrahatis vos ab
omni fratre ambulante inordinate et
non ſecundum traditionē / quam acce-
pit a nobis / Item / Vtinam abſcin-
dantur / qui vos perturbant. etc.

XII.

Summa cum feſtinatione meum
officium qualecunq; in Templo abſo-
uendum eſt / Interim cogitandum de
Porcis in campum abigendis / Non
me mouet / quod ſcriptum eſt. Male-
dictus qui facit opus Domini frau-
dulenter etc.

Si Mercenarii has regulas ob-
ſeruarint / audiant qualem habituri
ſint mercedem.

De Paſto-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

1 Væ Paſtoribus qui paſcunt ſemetipſos.
2 Væ mihi/ſi non Euangelizauero.
3 Maledictus qui facit opus domini fraudulenter.
4 Sanguinē illorū de manu tua requirā.
5 Stabit anima tua pro anima illius.
6 Agens et patiens pari pœna punietur.
7 Non ſolum/qui talia agunt. Rom: I.
8 Omnis arbor/quæ non facit fructum bonum. etc.

En habes mercedem Mercenariorū/ Conuertant igitur ſe in primis/ vt ex Mercenariis veri Paſtores Eccleſiarum fieri poſſint.

De poteſtate ordinandi miniſtros Eccleſiæ

NE quis dubitet / an qui in noſtris Eccleſiis ad miniſteriū verbi ordinantur/rite ordinati ſint/ etiamſi nō ſunt ordinati ab Epiſcopis Papiſticis/adducam breuiſſimas/tamen

men certas et firmas probationes / a-
pud illos non eſſe ius et poteſtatem
ordinandi miniſtros Eccleſiæ / id vt
commode fiat neceſſe eſt conſiderare.

Qualis ſit Papiſtica Eccleſia/
quales Epiſcopi / quales Sacerdotes
ab illis ordinati/ qualia ipſorum offi-
cia Quomodo ordinabantur &c.

Eccleſia Papiſtica qualis:

Eſt cœtus hominum ambulanti-
um in tenebris/ erroribus/ et adhærens
doctrinis Dæmoniorum/ ſine vera fi-
ducia in Chriſtum/ et ſine veris culti-
bus/ plœnus multiplicibus idolatriis/
fundamentum Prophetarum et Apoſ-
tolorum corrumpens et oppugnans.

Nunquid talis Eccleſia / quæ eſt
hoſtis veræ doctrinæ / et amplectitur
doctrinam Sathanæ/ habet ius vocan-
di et ordinandi miniſtros Ieſu Chriſti?
Abſit. Non enim magis penes illam
eſt hæc poteſtas/ quam penes Turci-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

cam Eccleſiam/quæ ſimili modo Ec-
cleſiæ Chriſti hoſtiliter aduerſatur,
Tempore Chriſti poteſtas concionan-
di non ab hoſtibus Chriſti /Anna/
Caipha / Scribis et Phariſæis /
(cum penes eos non eſſet miniſterium
verum) ſed a Chriſto et Apoſtolis pe-
tenda fuit. Nam ille cœtus qui aduer-
ſatur Chriſto /non colligit cum eo/ſed
diſpergit/Et ideo ab omnibus Chriſti
fidelibus / tanquam Anathema fugi-
Gal: 4. endus eſt/iuxta illud/ Si quis aliud
Joan:10 Euangelium docuerit Anathema ſit /
Item oues meæ vocem meam audi-
unt/alienum non audiunt/ Itē /No-
lite trahere iugum cum infidelibus.
Vnde concludendum eſt hoc modo.

In ſola Eccleſia Chriſti eſt poteſ-
tas vocandi/approbandi et ordinandi
miniſtros Eccleſiæ /Romana Eccleſi-
a (ſicuti nec Turcica et Judaica) nō
eſt vera Eccleſia Chriſti. Ergo hæc
non has

non habet ius ordinandi miniſtros Eccleſia ex quo / in ea ſunt corruptelæ coeleſtis doctrinæ / et omnium diuinarum ordinationum multiplices et variæ.

Quales Epiſcopi:

Reſpondeo. Qualis Eccleſia / talis Epiſcopus. D. Paulus graphice eos deſcribit Philip: 3. Multi (inquit) ambulant quos ſæpe dicebã vobis / Nunc autem et flens dico / Inimici crucis Chriſti / quorum finis interitus / quorum Deus venter eſt &c. Propter hunc omnia mala contra Deum agunt / Et Sathanam propter regna mundi adorant. Quid quæſo aliud ſunt vel fuerunt Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi (exceptis pauciſſimis) quam tetra monſtra et inutilia pondera terræ / contaminata horrendis libidinibus et flagitiis / ſine vera doctrina / ſine agnitione / timore / vel amore

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

Dei/ corrumpentes ordinationes diuinas etc. Et quantum ad externã dominationem attinet/volunt ipſis regibus/opibus/et potentia humana pares eſſe/ac vt ſuos honores/potentiã/ et diuitias retineant/non ſeruiunt/ ſed dominantur Eccleſia/et veram doctrinam ſupprimant/Et mentiuntur ſe eſſe ſucceſſores Apoſtolorum / et ſeſe ſolos habere totam iuriſdictionem Eccleſiaſticam in vocandis et ordinandis miniſtris Eccleſiæ.

Judicet nunc quilibet pius vtrũ tales Satrapæ ſint ſucceſſores Petri et Apoſtolorũ/ et habeant ius vocandi et ordinandi Legatos et Cooperarios Dei etc. Certe non magis quam Annas et Caiphas/Jmo quã Nero/ Caligula/Diocletianus/aut ipſe Sathan / De illis et ſimilibus loquitur Chriſtus/Cauete vobis a falſis Prophetis / Jtem. Paulus 1. Timoth: 4. Spiritus certo prædicit ꝛc. Tales igi-

tur/

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

tur Epiſcopi/idolatræ/et verbi diuini
perſecutores tanquam membra Diabo-
li/fugiendi ſunt /et apud huiuſmodi/
non eſt petendum miniſterium prædi-
candi verbi Dei/iuxta illud/Oſeæ 4.
Quia tu repuliſti ſcientiam/repellam
te/ne Sacerdotio fungaris mihi/Ite/
fugite idolatras.

S. Matthias cum in locum Iu-
dæ proditoris/eſſet ſurrogandus et
ordinandus/non mittebatur ab Apoſ-
tolis ad Annam et Caipham/ſum-
mos Pontifices/vt ab illis ordinatio-
nem peteret/cum eſſent hoſtes Chriſti/
et ab illis ad Chriſtum et Apoſtolos
Sacerdotiū et miniſterium eſſet tranſ-
latum. Chriſtus ipſe et Apoſtoli non
acceſſerūt ſummos Pontifices/precā-
tes veniam concionandi/Ita hoc tem-
pore ab iis tantū petenda eſt ordinatio/
qui verbum Dei incorruptum amplec-
tuntur/retinent/et propugnant/et nō
ab iis qui non ſunt membra vera Ec-

 clesiæ/

cleſiæ/ Concludendum ergo ſic.

Epiſcopi quærentes externam dominationem / et regios honores / corrumpentes vocem Christi Archipaſtoris/ et inimici crucis Christi/ nõ ſunt veri Epiſcopi animarum / ſicut fuerunt Paulus/ Timotheus/ et Titus &c. Tales ſunt et fuerunt pleriqꝫ Papiſtici Epiſcopi/ Ergo non fuerũt veri Epiſcopi/ et per conſequens non habent ius ordinandi miniſtros Eccleſiæ.

Quales ſacerdotes ab illis ordinati.

Reſpondeo. qualis Epiſcopus/ talis Sacerdos/ Beati rudes quoniã Aſini Dei vocabuntur/ Maxima enĩ pars eorum ſacrarum literarum prorſus rudis erat / quemadmodum non ſine dolore et lachrymis / in prima mea prouinciali viſitatione expertus ſum/ præſertim apud eos qui in templis Cathe-

plis Cathedralibus olim chorū frequē-
tauerāt. Tales idiotæ/ventres pigri/et
ocioſi ad gubernacula Eccleſiarū ordi-
nabantur. Vt interim taceā/quod ple-
riqꝫ eorū ſcortatores et adulteri fuerūt/
habentes apud ſe concubinas/ ex qui-
bus non paruū lucrum acceſſit Epiſco-
po pro infamulatione/ vt loquuntur.

Epiſcopi igitur ordinantes ad functi-
onem/ perſonas prorſus inidoneas et
criminibus obnoxias / non ſunt veri
Epiſcopi / huiuſmodi enī nō approbat
Paulus ad Ti: 1. et 1. Timoth: 3.

Tales autem ſunt Romanæ
Eccleſiæ Epiſcopi / ergo non ſunt
Chriſti Eccleſiæ Epiſcopi/ Sunt enim
ipſimet (pleraqꝫ ex parte) indoctiſſimi
et veræ doctrinæ ignari / magis occu-
pati / equis / canibus /et meretricibus
alēdis et curandis /quā grege Chriſti /
ſano verbo Dei paſcendo ꝛc.

Qualia ſunt et fuerūt of-
ficia Sacerdotum Papiſticorum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

Reſpondeo. Minima pars eorũ ad ſuggeſtum ordinabantur/ac etiamſi id aliquando fiebat/tamen ſomnia humana et diabolica mendacia proclamabãt. Sed finis præcipuus/erat ſacrificare filium Dei in miſſa pro viuis et defunctis/murmurare horas/ſanctos inuocare/eorumq; ſtatuas colere/ conſecrare aquam/ignem/ſal/ cibũ/ herbas etc. Et auocare peccatores a miſericordia Dei gratuita/a meritis et beneficiis Chriſti/ad tales nugas/ ad Sanctorum et ſua propria merita/ quibus docuerunt homines confidere/ et quibus euacuauerunt mortẽ et meritum Chriſti/ Sicuti Gal: 2. inquit Paulus/ Si per legem eſt iuſtitia/ Chriſtus fruſtra mortuus eſt/ Summa. Papiſtici Sacerdotes/ſui cõmodi et quæſtus cauſſa blaſphæmi in Deũ/ doctrina/vita/et ceremoniis fuerunt. Itaq; talium vocatio et ordinatio nequaquam a Deo/aut ipſius miniſteris

fuit

fuit/ſed ab impiis Epiſcopis membris Sathanæ / et hoſtibus Dei / penes quos non fuit nec eſt ius eligendi et ordinandi miniſtros Eccleſiæ Chriſti.

Quomodo Ordinabātur?

Reſpondeo. Longe alio modo/ aliisq; ceremoniis/quam tempore Apoſtolorum/ Negant quemquam Sacerdotē fieri poſſe/ſine raſura/ et vnctura Papiſtica/Hac affirmabant ordinandum reddere ſanctiſſimum/etiamſi inſignis eſſet Scortator &c. Nunquid hoc modo/ridicule raſit et vnxit Chriſtus capita ſuorum Diſcipulorū/quādo eos ad prædicandum emiſit? Nunquid hoc modo vnxit et raſit Paulus Titum et Timotheum / aut reliqui Apoſtoli Matthiam/quando ipſum in locū Iude ſurrogarunt? Ex quo itaq; Papiſtici Sacerdotes Sathanæ miniſtri erant / longe alio modo ordinabantur/quam miniſtri Jeſu Chriſti/

quos ipſe ſedens ad dexteram Dei mittit in mundum / non miſſare / ſacrificare / vngere / radere &c. ſed Euangelizare / et adminiſtrare ſacramenta a ſe inſtituta. Concludendum ergo ſic.

Epiſcopi contemnentes formam ordinandi miniſtros / ab Apoſtolis traditam / non ſunt eorum ſucceſſores. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi nolunt hoc modo ordinare miniſtros Eccleſiæ / Ergo mentiuntur ſe ſolos eſſe veros Epiſcopos et Apoſtolorũ ſucceſſores / Et per conſequens iniuſte ſibi ſoli arrogant poteſtatem eligendi et ordinandi miniſtros Eccleſiæ. Ex his omnibus prædictis conſtat ius et poteſtatẽ eligendi miniſtros Eccleſiæ / non magis ad Eccleſiã malignãtiũ / ad ipſos Epiſcopos pertinere / quã ad Turcas et alios ethnicos / Ideo mẽtiũtur turpiter qui negant veros Sacerdotes eſſe poſſe / niſi a Romanæ Eccleſiæ Epiſcopis approbati / confirmati et ordi-

nati ſint/Item qui negant ſacramenta eſſe efficacia/niſi ab iiſdem Papiſticis Sacerdotibus fuerint adminiſtrata/cum tamen authoritas conſecrandi vt vocat et adminiſtrandi ſacramenta non ſit alligata certis perſonis /locis aut titulis / Sed in cordibus credentium per auditum Euangelii et ſacramenta/Spiritus ſanctus eſt efficax/non propter Miniſtri aut Sacerdotis perſonam/ſed propter promiſſionem et inſtitutionem diuinam et præſentiam Dei / Itaqꝫ magnum ſacrilegium committunt impii Epiſcopi cū ſuis Sacerdotibus/ quod illam efficaciam in miniſterio Eccleſiæ ad ſe rapiunt / quæ ipſius Dei et Spiritus ſancti eſt.

Eſt enim Eccleſiæ miniſteriū/ non hominum / ſed ſpiritus miniſterium/et potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Ro: 1.

Nunc e diuerſo facile probari poteſt il-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

teſt illos / qui in noſtris Eccleſiis ordinantur / rite / ordinari / et habere poteſtatem docendi et adminiſtrandi ſacramenta.

Qualis quæſo eſt Eccleſia/ in qua nos ſumus?

Eſt Eccleſia Jeſu Chriſti / quæ eſt Cœtus hominũ amplectentium purum verbum Dei / et integra ſacramenta a Chriſto inſtituta / Et credit remiſſionem peccatorum per ſolum Chriſtum / habet vnum Deum patrem / vnã fidem / vnum Baptiſma / et ædificata eſt ſuper fundamentum Prophætarum et Apoſtolorũ / in quo ædificio

Ephe: 2

ſummus lapis angularis eſt Jeſus Chriſtus / quæ doctrinam erroneã / et impios cultus cũ verbo Dei pugnantes reprehendit et damnat. Omnia huius definitionis membra teſtantur nos viuere in Eccleſia Chriſti / non Antichriſti / Ergo apud nos eſt ius et

poteſtas

poteſtas eligendi et ordinandi verbi miniſtros.

Quales ſunt illi a quibus hodie apud nos approbantur / et ordinantur miniſtri Eccleſiæ?

Sunt perſonæ legitime ad Epiſcopatum electæ et vocatæ / imo quidam ad illud acceptandum coacti / amplectũtur puram Euangelii doctrinam / eandem in ſua diœceſi vndiq; proclamant et ſpargunt / Illam confitentur viua voce / et martyrio ſi opus fuerit / adminiſtrant Sacramenta quemadmodũ Chriſtus ea inſtituit / vtuntur poteſtate clauium ex mandato Chriſti / reprehendunt omnes errores et cultus cum verbo Dei pugnantes.

Nonne huiuſmodi ſunt veri Epiſcopi? Nonne apud tales (non apud hoſtes Eccleſiæ) eſt poteſtas ordinandi Doctores Eccleſiarũ? Si apud tales non eſt verum miniſterium verbi / vbi tunc quæſo eſt in mundo?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

Ad qualia officia hodie ordinantur?

Certe non vt miniſtri Diaboli ſint (vt Papiſtici ſacerdotes) ſed vt Chriſto ſeruiant / prædicando legem et Euangelium / adminiſtrando ſacramenta / taxando falſos Prophetas / et vt reliqua ſuæ vocationis officia iuxta verbum Dei / præſtent. Ad huiuſmodi grauiſſimos labores / onera / pericula / moleſtias / hodie vocantur / non ad ocium / delitias / voluptates &c. Quicunqz (inquit Paul.) Epiſcopatum deſiderat / bonum opus deſiderat. Vt igitur iſtiuſmodi qui pii ſunt in moribus / et apti ad Eccleſiam docendam / Deo et hominibus in functione Eccleſiaſtica ſeruiant / rectiſſime a piis Epiſcopis / Eccleſiis præficiuntur / non obſtãte quod quidã olim fuerint ab impiis Epiſcopis et vncti et raſi.

Quomodo ordinantur?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

Vocantur et ordinantur hodie in noſtra Eccleſia / iuxta morem veterem et Apoſtolicum / (ſine raſura vnctura et aliis ridiculis Papiſticis nugis) qui mos in primitiua Eccleſia ſeruabatur / vt quæ Eccleſia ſibi miniſtros deligeret / eos poſtea collegio presbyterorum probandos ſeu examinandos ſiſteret / Quod collegium in præſentia Eccleſiæ / et Deo inuocato / per manuū impoſitionem / miniſterium docendi / et adminiſtrandi ſacramenta idoneis et approbatis commendabat / Hunc ritum Eccleſiæ videmus in Actis Apoſtolorū / ab ipſis Apoſtolis et aliis Chriſti Diſcipulis obſeruari. 1. Timoth. 4 ſcribitur. Noli negligere gratiam quæ in te eſt / quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuū presbyterii. Itē / Man⁹ nemini cito impoſueris Hic mos hodie in noſtris Eccleſiis ſeruatur / Ergo qui apud nos ordinantur rite ordinati ſunt / Et poteſtatē habent

docendi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

docendi et adminiſtrandi Sacramenta/
Et per horum adminiſtrationem Spiritus ſanctus vere efficax eſt in cordibus credentium.

Scelerate igitur et ſtulte faciunt contemnentes miniſterium eorum/qui in noſtris Eccleſiis ordinati ſunt/cum non ſint ordinati ab iis Epiſcopis / qui approbati et ordinati ſunt a Romano Idolo Antichriſto/filio perditionis/ qui indies interficitur Spiritu oris Chriſti /et ipſius aduentus claritate prorſus delebitur / quod vt cito fiat/ faxit Deus pater per Jeſum Chriſtum.

Amen.

Impreſſa Haffniæ M. D. Lvi.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

foto 8982

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1244 8° copy 2